

utcumq; FO circumferentiam secundi ac sui epicycli, iam ipsum O non describet eccentricum, cui centrum in AC linea contingat, sed in ea quæ ipsi DO parallelus fuerit, qualis est LP . Quod si etiam cōiungatur OI , & CP , erūt & ipsæ æquales, minores autē ipsis IF & CM , & angulus $DI O$ angulo $LC P$ equalis, per VIII. primi Euclid. & pro tanto uidebitur Solis apogeu in CP linea præcedere ipsam A . Hinc etiam manifestū est, per eccentrepicyclum idē contingere. Quoniam in præexistente solo eccentro, quem descripserit D epicyclium circa L centrum, centrum terræ uoluatur in FO circumferentia prædictis conditionibus, hoc est, plus modico quàm fuerit annua reuolutio. Superinducet enim alterum eccentricum priori circa P centrū, accidentēq; prorsus eadem. Cūq; tot modi ad eundem numerum sese conferant, quis locum habeat haud facile dixerim, nisi quòd illa numerorum ac apparentiū perpetua consonantia credere cogit eorum esse aliquem.

Quanta sit secunda Solaris inæqualitatis
 differentia. Cap. XXI.



Vm igitur iam uisum fuerit, quòd ista secunda in æqualitas primam ac simplicem illam anomalam obliquitatis signiferi, uel eius similitudinem sequatur, certas habebimus eius differentias, si non obstiterit error aliquis obseruatorum præteritorum. Habebimus enim ipsam simplicem anomalam anno Christi $M. D. XV.$ secundum numerationem grad. $CLXV.$ scrup. $XXXIX.$ ferè, & eius principium facta retrorsum supputatione sexaginta quatuor ferè annis ante Christum natum, à quo tempore ad nos usq; colliguntur anni $M. D. LXXX.$ illius autem principij inuenta est à nobis eccentrotēs maxima partium $417.$ quarum quæ ex centro orbis esset $10000.$ nostra uero ut ostensum est $323.$ Sit iam AB linea recta, in qua B fuerit Sol & mundi centrum. Eccentrotēs maxima $AB,$ minima $BD,$ descriptiq; parui circuli, cuius diametrens fuerit $AD,$ capiatur AC circumferentia pro modo primæ simplicis anomaliæ, quæ erat partium $CLXV.$ scrup. $XXXIX.$ Quoniã igitur data est AB partiū $417.$ quæ in principio simplici ano

cis ano